



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

V. De officio clericorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

riam Dei. Neminem iniuste per potentiam opprimere: sine acceptione personarum inter virum & proximū suum iudicare: aduenis, pupillis, & viduis, protector esse: furtum prohibere: adulteria punire: iniquos non exaltare: pauperes eleemosynis alere: quia etsi omni homini necessarium est Christi custodire mandata, præcipue tamen regibus & omnibus in sublimitate positis; qui & pro seipsis etiam, & pro vniuersis sibi subiectis, in die districti examinis iusto iudici rationem sunt reddituri.

III.

Tertio, admonendi sunt episcopi, quatenus cum omni honestate & modestia in sanctæ religionis pietate prædicent & ostendant exempla bona omnibus. Ut suas parochias omni anno cum omni vigilantia, prædicando verbum Dei, circumeant; ne aliquis per incuriam pastoris, per deuia cuiuslibet ignorantia errans, lupinis pateat moribus lacerandus. Ne quis turpis lucri gratia, sed spe mercedis æternæ, gregem sibi commissum pascere studeat: quod enim gratis excepimus, gratis impendere non differamus. Absque vlllo timore vel adulatione cum omni fiducia verbum veritatis prædicare, regi, principibus populi sui, omnibus dignitatibus, & nunquam veritatem subterfugere. Neminem iniuste damnare, neminem nisi iuste communicare, omnibus viam salutis demonstrare.

IV.

Quarto capitulo, admonemus presbyteros ut populum Dei bonis exemplis habitu sancto doceant, & doctrina sancta erudiant & informant. Ut illorum conuersatio in omni bonitate & modestia moribus populi excellentior sit: quatenus qui eum viderit secundum presbyteratus sui dignitatem vestitum incedentem, bene & laudabiliter enuntiat habitus eius.

V.

Quinto capitulo admonendi sunt clerici, ut canonicè cum omni honestate & reuerentia iuxta sanctorum patrum decreta viuant: præbentes bona omnibus exempla, quatenus in eorum bona conuersatione laudetur episcopus, honoretur ecclesia, populus proficiat in laudem Dei, & illi secundum nominis sui dignitatem, digni in Dei hereditatem venire efficiantur.